

**§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA QUARTAM
CONCLUSIONEM**

Ad argumenta Scotti. — Ad primum Scotti contra quartam conclusionem, dicitur, negando minorem. Et ad probatum, dicitur quod peccat per fallaciam consequentis, arguendo negative ab una causa veritatis ad propositionem habentem plures causas veritatis. Nam arbitrium sacerdotis in judicando et imponendo pœnitenti pœnam satisfactoriam, duplice esse contingit rectum. Primo modo, quia attingit pœnam cuius est adæquate debitor pœnitens secundum judicium Dei; et sic conceditur quod arbitrium sacerdotis non potest hoc modo esse rectum, nisi casu, vel per miraculum speciale. Secundo modo, quia attingit pœnam quæ in hoc seculo expedit pœnitenti secundum judicium Ecclesiæ; et hoc modo arbitrium sacerdotis in tali materia potest esse rectum sine casu et sine miraculo, considerando regulas Patrum et dispositionem pœnitentis.

Ad secundum patet per idem: quia non est impossibile Ecclesiam recte arbitrari sic ut arbitrium sit dignum ratiocinari apud Deum, ut argumentum false supponit, sicut præcedens.

Ad tertium, negatur minor. Quia licet sacerdoti non constet de voluntate Dei, quantam pœnam vult infligere pœnitenti; potest tamen sibi constare quantam pœnam est sibi in hoc saeculo expediens. Et hoc sufficit ad rectum arbitrium.

Ad quartum dicitur quod, si sacerdos imponat pœnitentiam majorem condigno, pœnitens tenetur eam implere, si possit, in hoc saeculo; sed in alio saeculo non exigitur quod totam exsolvat. Et similiter, si imponat minorem condigno, non exigitur quod majorem exsolvat hie; sed in alio saeculo exigetur. Omnes prædictas solutiones ponit sanctus Thomas sententialiter, dist. 20, q. 1, art. 2, in solutione secundæ quæstiunculae, ubi sic dicit: « Actus ministri bonus vel malus nihil diversificat in efficacia sacramentorum. Unde, sive sacerdos discrete se habeat in injunctione pœnitentiæ, sive non, nihil diversificatur quantum ad efficaciam absolutionis, confessionis et contritionis. Et ideo, sive discrete pœnitentiam injungat, sive non, semper manet reatus ad pœnam ejusdem quantitatis. Et ideo, si eam hic non explet, ab eo in purgatorio exigetur. » — Hæc ille. — Item, in solutione secundi, sic dicit: « Pœnitens cui major condigno pœnitentia injuncta est, tenetur eam explere ex sacerdotis injunctione, qui non solum debitum pœnae considerat, sed peccato remedium adhibet. Unde post hanc vitam non exigitur ab eo tota, sed solum quantum sufficit ad debitum solvendum. » — Hæc ille. — Item, in solutione tertii, sic: « Sacerdos minorem condigno pœnitentiam injungens, non semper peccat. Tum quia non potest determinate quantitatem debite

pœnae cognoscere; quamvis aliquid propriæ, consideratis regulis Patrum, determinate possit. Tum quia quandoque etiam ex industria minorem pœnam imponens, plus prodest pœnitenti quam noceat, qui forte, propter magnitudinem pœnae, posset a pœnitentia peragenda impediri, propter debilitatem virtutis adhuc de novo in eo recuperatae; et ideo negligit minus damnum, ut evitet majus; et iterum paullatim confortatus in eo divinus amor, ad plura opera pœnitentiæ peragenda ipsum incitat propria sponte, quam sacerdos sibi secundum quantitatem peccatorum injungere potuisset. » — Hæc ille. — Et plura alia dicit in eodem articulo, ad confirmationem dictarum solutionum facientia. Ex quibus patet quod ad rectum arbitrium confessoris non exigitur quod semper imponat pœnam condignam pœnitenti, sed sufficit quod injungat quantum expedit ei pro nunc, consideratis regulis Patrum et dispositione pœnitentis (cujus oppositum arguens putabat); et quomodo omnia argumenta fundantur in isto paralogismo fallacie consequentis, scilicet: *Sacerdos non potest recte arbitrari quoad hoc; ergo non potest recte arbitrari ullo modo.*

Ad argumentum pro quaestione (z) responsum est in probatione (6) tertie conclusionis (y).

Et hæc de quaestione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XX

QUÆSTIO I.

UTRUM PER INDULGENTIAS POSSIT ALIQUID REMITTI DE PŒNA SATISFACTORIA

SIRCA vigesimam distinctionem 4. Sententiarum queritur: Utrum per indulgentias possit aliquid remitti de pœna satisfactoria.

Et arguitur quod non. Quia hoc ad potestatem excellentiae pertinet, ut sine sacramento effectus sacramentorum tradatur. Sed nullus habet potestatem excellentiae, nisi Christus. Cum ergo satisfactio sit pars sacramenti, operans ad dimissionem pœnae debite, videtur quod nullus purus homo possit dimittere debitum pœnae sine satisfactione.

In oppositum arguitur. Quia Ecclesia generalis non potest errare; quia ille qui in omnibus exau-

(z) *quaestione. — conclusione Pr.*

(6) *probatione — responsione Pr.*

(y) Cfr. etiam ea quæ dicta sunt art. 8, § 2, circa finem.

datus est pro sua reverentia (ad Hebreos, 5, v. 7), dixit Petro, super cuius confessione fundata est Ecclesia : Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, Lucae. 22 (v. 32). Sed Ecclesia generalis indulgentias approbat et facit. Ergo indulgentiae aliquid valent.

In hac quæstione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : Quod indulgentiae quas concedit Ecclesia, aliquid valent, tam in foro Ecclesiae, quam in judicio Dei.

Hanc probat sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 3, q^{ta} 1, ubi sic dicit : « Ab omnibus conceditur indulgentias aliquid valere; quia impium esset dicere quod Ecclesia aliquid vane faceret. Sed quidam dicunt quod non valent ad solvendum a reatu poenae quam quis in purgatorio secundum Dei iudicium meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione qua sacerdos obligavit poenitentem ad poenam aliquam, vel ad quam etiam ordinatur ex statutis canonum. Sed haec opinio non videtur vera. Primo, quia est expresse contra privilegium Petro datum, ut quod ille remitteret in terra, et in celo remitteretur; unde remissio quæ sit in foro Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei. Secundo, quia Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens, magis damnificaret quam adjuvaret : quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a penitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent et quantum ad forum Ecclesiae, et quantum ad iudicium Dei, ad remissionem poenae residue post contritionem, confessionem et absolutionem, sive sit injuncta, sive non. » — Hæc ille.

Ex quibus patet duplex ratio pro conclusione.

Secunda conclusio est quod hujusmodi indulgentiae valorem habent propter merita Christi et allorum sanctorum.

Hanc ponit sanctus Thomas, ubi supra (4. *Sentent.*, dist. 20, q. 1, art. 3, q^{ta} 1), ubi, statim post verba predicta, sic subdit : « Ratio, inquit, quare indulgentiae valent, est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus justitiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, et multas tribulationes injuste illatas sustinuerunt patienter, per

quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur; quorum meritorum tanta est copia, quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt; et præcipue propter meritum Christi, quod, et si in sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus in sacramentis includitur, sed sua infinitate efficaciam sacramentorum excedit. Dictum est autem supra (dist. 20, q. 1, art. 2, q^{ta} 3), quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt; alias enim absque omni indulgentia remissionem consequeretur; sed communiter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus dicit se implere ea quæ desunt passioni Christi in corpore suo pro Ecclesia ad quam scribit, *Colossens. 1* (v. 24). Et sic predicta merita sunt communia totius Ecclesiae. Ea autem quæ sunt communia multitudinis alicujus, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus qui multitudini p̄r̄est. Unde, sicut aliquis consequeretur remissionem poenæ, si aliquis pro eo satisfaceret; ita etiam si satisfactio alterius per eum qui potest, sibi distribuatur. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione : Quicumque potest alicui poenitenti distri buere satisfactiones Christi et sanctorum, potest dare illi indulgentias. Sed primum potest P̄r̄latus Ecclesiae. Ergo et secundum.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Durandi. — Quantum ad secundum articulum, argendum est contra conclusiones. Et quidem contras secundam arguit Durandus (dist. 20, q. 3), presertim contra aliqua contenta in probatione ejus, dicens : De merito Christi nullum est dubium quin pertineat ad thesaurum Ecclesiae, et sufficiat. Christus enim per passionem suam satisfecit, quantum ad sufficientiam, pro peccatis mundi, sicut prædixerat Joannes Baptista, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, ut habetur, Joan. 1 (v. 29); et, prima canonica Joannis, cap. 2 (v. 2), dicitur quod *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non solum pro peccatis nostris, sed totius mundi*. Constat autem quod non omnes de mundo salvantur, sed pauci respectu aliorum, secundum illud evangelicum (Matth. 20, v. 16; et 22, v. 44), *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Ergo de poena Christi, quæ sufficere potest ad recompensandum poenam omnium peccatorum mundi

debitam, semper multum restat, cum pro paucis qui salvantur, satisfaciat. Et si omnes de mundo salvarentur, adhuc meritum passionis Christi superabundaret: quia qua ratione sufficiens est ad satisfaciendum pro peccatis totius mundi, eadem ratione sufficiens est ad satisfaciendum pro peccatis plurium mundorum, si essent. — De merito autem passionis sanctorum, potest verti in dubium utrum pertineant ad thesaurum Ecclesie. Posset enim videri quod non: quia unus non potest mereri alteri, sic quod meritum unius cedat alteri ad meritum, sed solum quia fructus seu merces meriti unius redundat in alterum; ut cum aliquis servit diviti, ut pauper ei obligatus a debito liberetur, vel ut habeat mercedem operis, in toto vel in parte, prout placet operanti transferre.

Ex hoc sic arguitur: Intentio merentis est necessaria ad hoc quod fructus seu merces meriti sui redundet in alterum: sic enim fructus meriti passionis Christi in nos redundat, ex ejus expressa intentione, dixit enim (Lucæ 22, v. 19), *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, et (ibid. v. 20), *Hic est calix*, etc. Quod autem intentio quorunquecumque sanctorum (α) fuerit fructum passionum suarum in nos transferre, nulla historia docet, nec in gestis martyrum legitur. Qualiter ergo et per quem modum fructus passionum suarum communicabitur (ε) nobis per indulgentiam factam a quocumque, non bene appetet.

Idem probatur sic: Illud quod est plenarie remuneratum, vel postea remunerabitur, non videtur quod sit pro alio satisfactorium. Sed quidquid poena sustinuerunt sancti martyres ultra quam peccata eorum meruerunt, est eis plenarie remuneratum, vel, resumpto corpore, remunerabitur plenarie. Ergo non videtur quod illud possit nobis cedere ad satisfactionem. Sed de thesauro Ecclesie datur nobis per indulgentiam penae satisfactoriam, secundum hanc opinionem. Ergo penae quas sancti sustinuerunt, non pertinent ad thesaurum Ecclesie; sed solum passio Christi, que excedit penam omnibus peccatis mundi debitam. Minor supponitur. Major etiam videtur ex precedentibus satis clara: quia, si tota merces meriti redditur merenti, et eam in seipso et pro seipso recipit, nihil restat quod in utilitatem alterius possit cedere; quia extra totum nihil est.

Sed tamen contra hanc rationem dicunt aliqui, quod, secundum eam, sequitur quod nullus homo, nec etiam Christus homo, possit satisfacere pro alio, nec in toto, nec in parte; nec aliquis pro seipso; que sunt falsa et erronea. Quod probant sic: Quia, ut dicunt (γ) ipsi, Christo et omni homini plene

remuneratum est, vel plenarie remunerabitur in resurrectione (α), quidquid meruerunt, sustinendo quascumque passiones et quoscumque labores. Si ergo illud quod plenarie remuneratum est alicui, non potest cedere ad satisfaciendum pro alio, sequitur quod nec ipse Christus per passionem suam, nec aliquis sanctus, fecit vel passus est aliquid quod possit aliis cedere in expiationem alicujus penae, immo nec sibi ipsi, cum totum remuneretur.

Hæc autem instantia continet quædam manifeste falsa. Constat enim quod merita Christi non fuerunt ei in seipso a Deo plene et perfecte remunerata, nec remunerabuntur, sicut ceteris sanctis: nam summa merces qua remunerantur sancti pro suis meritis, est visio beata, et fruitio (cetera enim omnia, sicut dotes corporis, et quæcumque alia, pertinent ad præmium accidentale, quod est minus, et respectu primi est quasi secundum quid); cum ergo Christus pro suis meritis non fuerit remuneratus visione et fruitione beatis (haec enim habuit plenissime absque ullo merito, ab instanti sue conceptionis), patet quod merita ejus non fuerunt ei in seipso remunerataeque plene et perfecte sicut ceteris sanctis, nec illo summo præmio quo Deus merita sanctorum et passiones remunerat supra condignum, secundum illud *Romanor. 8* (v. 18), *Non sunt condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Ergo quod est ei minus plene remuneratum, potest nobis cedere ad satisfactionem. Et illud potissimum fuit meritum sue passionis. Unde omnes Doctores concorditer dicunt quod Christus per suam passionem non meruit sibi nisi gloriam corporis et exaltationem sui nominis, nobis autem meruit redemptionem seu liberationem a peccatis. Et sic clare falsum est quod isti dicunt de merito Christi et ejus remuneratione in seipso, etc.

Item, falsum est quod dicunt, quod secundum rationem nostram sequeretur quod nullus homo posset satisfacere pro alio, nec etiam pro seipso. Quia pena per penam recompensatur; si ergo quis pro peccatis suis sit debitor penæ, et ipse contritus, propria sponte, vel ex sacerdotis impositione, faciat aliquam poenitentiam, quare non satisfaciet in aliquo pro seipso? Similiter, si, de voluntate sacerdotis vel satisfacientis, unus faciat poenitentiam pro alio impositam, quare non satisfaciet pro eo in aliquo, non appetet, nec ex ratione nostra sequitur. Circa quod est (ε) intelligendum quod omne opus bonum, factum pro Deo, et in charitate, est meritorium vitae aeternæ. Si autem sit penale, non solum est meritorium, quia bonum, immo est satisfactorium pro pena; nec plus remunerabitur in quantum penale, nisi per expiationem penæ debite; semper tamen acceptum erit Deo, in quantum est

(α) *sanctorum*. — Om. Pr.

(β) a verbo *ergo* usque ad *communicabitur*, om. Pr.

(γ) *ut dicunt*. — *dicunt quod* Pr.

(α) *resurrectione*. — *remissiona* Pr.

(β) *est*. — Om. Pr.

bonum et virtuosum, et remunerabitur præmio essentiali. Si autem operans non sit debitor alienus pœnæ, vel non tante, tunc opus suum pœnale remunerabitur non solum præmio essentiali, quia bonum fuit, sed præmio accidentalí, quia fuit pœnale. Et, secundum hoc, martyres non solum dicuntur habere auream, hoc est, præmium esse entiale, sed aureolam, hoc est, aliquod præmium accidentale, propter pœnalitatem martyrii. Cum ergo dicitur quod omne opus bonum remuneratum est, vel remunerabitur cuilibet in resurrectione, verum est quantum ad præmium esse entiale. Sed, si sit non solum bonum, sed pœnale, et operans, seu sustinens pœnam, fuerit debitor pœnae pro seipso, vel sustinuit eam pro alio, tunc talis pœna non plus remunerabitur, quia jam cessit in solutionem alterius. — Hæc Durandus, in forma.

II. Argumenta quorumdam. — Contra eamdem conclusionem arguunt quidam alii (apud Petrum de Palude, dist. 20, q. 4), dicentes quod dubium est de merito Christi, et quoad penam damni, et quoad pœnæ sensus.

Primo (z). Quia quidquid sit de pena actualis peccati quoad penam sensus, non videtur quod penam damni Christus solverit, qui illam non sustinuit.

Secundo. Quia, eum actuali mortali debetur pena æterna, non fuit tantum de pœnalitate in morte Christi, nec intensive, nec extensive, quantum est in pena sensus æterna, que est in inferno. Unde, cum aequalitas satisfactionis attendatur secundum comparationem pœnae ad penam, Christus quidem potuit mereri dimissionem pœnae æternæ totalem damni et sensus, que fit in baptismio adulti peccatoris, et commutationem pœnae æternæ in temporalem, que fit in pœnitentia: quia divinitas illud operata est, quia Deus agere et cogere potest; et sic meritum fuit infinitum. Sed non potuit, ut videtur, satisfacere pro pena æterna: quia non potuit ex humanitate sustinere tantam penam, quanta est illa inferni; nec divinitas compassa est, quia pati non potuit. Immo videtur quod nec solutio pœnae temporalis fieri possit: quia non potuit esse tantus dolor in morte Christi, quantus est dolor debitus omnibus peccatis confessis et confitendis in hac vita.

Tertio arguitur. Quia ad potestatem excellenție Christi pertinet dare effectum sacramenti sine sacramento. Ergo purus homo, per indulgentias, que non sunt sacramenta, non potest dimittere penam, quod (6) est effectus sacramenti.

III. Argumenta Aureoli. — Contra eamdem

conclusionem arguit Aureolus (dist. 20, q. 1, art. 4), probando quod Papa potest dare indulgentias, non solum per modum recompensationis et satisfactionis, quod fit accipiendo de merito Christi et sanctorum; sed etiam auctoritate sibi tradita a Christo, cum dicit (Matth. 16, v. 19), *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis, et quodcumque solveris, etc., absolute, nihil aliud pro recompensatione dando, potest penas, quas voluerit, relaxare.* Probatur hoc.

Primo (z). Quia rescripta papalia obtinent vim juris et auctoritatis sanctorum. Cujus ratio est: quia sunt majoris auctoritatis in diffiniendo, eum ipse confirmat et det vim auctoritatibus sanctorum et juris peritorum. Sed, in rescriptis papalibus, ubi continetur tenor indulgentiae quam largitur, videtur quod relaxet authentico modo, non autem per modum recompensationis, accipiendo de merito Christi. Non enim continetur in rescripto Papæ, *Volumus quod de merito Christi, quod tibi applicamus, relaxentur tibi centum dies;* sed dicitur sic: *Nos ergo de Omnipotenti Dei misericordia et auctoritate Apostolorum Petri et Pauli confisi, relaxamus tibi centum dies;* etc. Ex quibus patet quod ibi non exprimitur nisi Dei misericordia, cuius minister sumus, et auctoritas Apostolica.

Secondo. Quia dictum fuit Petro (Matth. 16, v. 19): *Quodcumque ligaveris,* etc. Tunc qui dicit *quodcumque,* nihil excludit. Tunc arguitur sic: Omne vinculum super terram impediens ab ingressu celi, Papa potest solvere; et in ejus potestate est authenticus relaxare, apud quem est clavum plenitudo. Sed obligatio ad penam est vinculum impediens super terram ab ingressu celi; nullus enim ingreditur quousque reddit ultimum quadranteum. Ergo, etc.

Tertio sic. Cui committitur magis, committitur minus. Sed magis est absolvere a culpa, quam a pena; et commissum est capiti Ecclesie ab omni culpa, sine exceptione, absolvere. Ergo, etc.

Quarto. Quia claves non solum extendunt se ad culpam, sed ad penam. Sed in aliquo sacramento quandoque potest relaxari tota pena, sicut in baptismico. Ergo videtur quod datum sit alieni in Ecclesia, maxime principi, quod, saltem ministrando sacramentum pœnitentie, possit totam penam relaxare: nam relaxatio culpe fit mediante sacramento, relaxatio pœnae fit absolute, licet quandoque fiat etiam mediante sacramento. — Hæc Aureolus.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

(z) *Primo.* — Om. Pr.
(6) *quod.* — quæ Pr.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM
CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Durandi. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem

Ad primum Durandi, negatur minor. Nec valet probatio. Quia, sicut recitatum est in probatione conclusionis secundae, Paulus, *Colossens.* (v. 24), testatur se implere ea quae desunt passioni Christi in suo corpore, etc. Quod exponens beatus Thomas in *Postilla* (2), sic dicit: « Hæc verba pravum possent habere intellectum: scilicet quod Christi passio non esset sufficiens ad redemptionem, sed additæ sunt passiones sanctorum ad complendum. Sed hoc est hæreticum: quia sanguis Christi est sufficiens ad redemptionem etiam multorum mundorum, 1. Joann. 2 (v. 2), *Ipse est propitiatio*, etc. Sed intelligendum est quod Christus et Ecclesia est una persona mystica, cuius caput est Christus, corpus autem omnes justi, quilibet autem justus quasi membrum hujus capitatis. Deus autem ordinavit in sua prædestinatione quantum meritorum debeat inferri per totam Ecclesiam, tam in capite quam in membris, sicut et prædestinavit numerum electorum. Et inter haec merita præcipue sunt passiones sanctorum martyrum (6). Sed Christi, scilicet capitatis, merita sunt infinita; sanctus vero quilibet exhibet aliqua merita secundum suam mensuram. Ideo dicit Apostolus: *Adimpleo ea quæ desunt passioni Christi*, id est (7), totius Ecclesie, cuius caput est Christus. — *Adimpleo*; id est, addo mensuram meam; et hoc *in carne*, id est, ego ipse patiens in carne, vel que desunt in carne mea. Hoc enim deerat: quia sicut Christus passus est in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo; et hoc *pro corpore quod est Ecclesia*, quæ erat redimenda per Christum. Sic etiam omnes sancti patiuntur propter Ecclesiam, quæ ex eorum exemplo roboratur. Glossa: *Passiones adhuc desunt, eo quod paritoria meritorum Ecclesie nondum est plena; nec adimplebitur nisi cum saeculum fuerit finitum*. Paritoria autem est *vas*, vel *domus*, ubi pariter multa infiuntur. » — Hæc ille. — Concordat Nicolaus de Gorram, in *Postilla* super eodem loco, dicens: « Passiones quas Christus sustinuit, et fideles ejus sustinent, sunt quasi quedam res publica Ecclesie, et thesaurus ejus, in quo quilibet ponit partem

suam: sicut in vase ad eleemosynam posito super mensam omnes pariter ponunt, donec impleatur; et ideo vocatur paritoria, quia omnes ibi pariter ponunt. De isto thesauro sunt ita large indulgentiae. Iste autem thesaurus non erit plenus nisi in fine saeculi. » — Hæc ille. — Et concordat Glossa ordinaria. Ex quibus patet quod non solum passio Christi, immo passiones aliorum sanctorum repnnuntur in thesauro meritorum Ecclesie, ad utilitatem totius Ecclesie. Et hoc intendebant sancti martyres, implicite vel explicite, scilicet quod merita eorum prodessent non solum sibi, sed etiam aliis, sicut orabant et jejunabant pro eis. Et sic patet quod argumentum illud non habet colorem; potissimum cum charitas faciat merita singulorum esse omnibus communia, ut sancti dicunt.

Ad secundum dicitur, negando minorem. Licet enim passiones martyrum sint sufficienter premiatae, vel in futurum premiandæ in ipsis, ex illa parte qua sunt meritorum essentialis præmii, non tamen in quantum sunt satisfactoriæ, vel meritorum accidentalis præmii; sed possunt in aliis habere effectum et præmium, puta liberationem a reatu peccati. Et ideo hoc argumentum multiplicem patitur calumniam, sicut ostendit Petrus de Palude (dist. 20, q. 4), sic inquiens: « Contra hanc rationem videtur. Quia Deus nec Christum nec alium remunerat extra meritum, sed ultra. Unde, cum præmium correspondeat merito, maximè si est meritum condigni, quod si est in aliquo, sicut in Christo, injustitia videretur quod Christus plus meruisset quam receperisset. Quantum enim sibi meruit, tantum in se recipit; et quantum aliis meruit, tantum in se recipient (2). Unde omne Christi meritum, vel alterius, est perfecte remuneratum, vel remunerandum in persona illius pro quo factum est. Unde, si propter hoc nihil restat de meritis sanctorum, per consequens nec de merito Christi, qui habet non solum quod meruit, sed plus quam meruit, et quod non meruit, scilicet gloriam anime. — Præterea, non est magis remuneratum vel remunerabile quod fecerunt sancti mortui, quam illud quod faciunt vivi nunc. Sed, non obstante quod *oratio orantis in sinum orantis convertatur* (Psalm. 34, v. 13), et sic quod omne bonum quod homo faciat pro se, vel pro alio, super caput ejus ad plenam remunerationem revertatur; nihilominus tamen unus pro alio satisfacere potest, et satisfactio prodest alii, quando unus pro alio satisfacere intendit. Ergo quia sancti non solum pro se, sed etiam pro corpore Christi, quod est Ecclesia, bona agere et mala pati volebant (sicut Paulus dicit (2. Timoth. 2, v. 10): *Omnia facio propter electos, ut ipsi salutem consequantur*), licet eis sit remuneratum, nihilominus pro nobis potest satisfactorium esse. —

(x) Exposit. in epist. ad Coloss., cap. 1, lect. 6.

(6) *martyrum*. — Om. Pr.

(7) *id est*. — et Pr.

(2) *recipient*. — *recipiet* Pr.

Unde dicendum quod opus bonum pœnale sanctorum potest considerari dupliciter. Uno modo, in quantum est meritorum; et sic non transgreditur personam; nisi solum meritum Christi, qui sibi et aliis plus meruit quam accepit vel recepturus sit in seipso. Secundo modo, prout est satisfactorium; et sic multi plus satisfecerunt quam debuerunt. Licet enim pœna purgatorii sit major omni pœna mundi, non tamen sequitur: *Tale peccatum meretur talem pœnam in purgatorio, ergo gravissimam in mundo;* alias nullus posset pati pœnam ultra culpam, cum a veniali nullus sit immunis; cum tamen dicat Job. (cap. 6, v. 2 et 3): *Utinam appenderentur peccata, quibus iram merui; et calamitas, quam patior, in statera! Quasi arena maris hinc gravior appareret.* — Item, licet homo non possit facere bonum pro alio, quin mereatur; sic tamen potest solvere pro alio, quod non liberat se, sed illum solum. Unde satisfactio quam homo pro alio facit, sibi quidem est meritoria, et non illi; sed illi est liberatoria, et non sibi. Quia ergo sancti plus sustinuerunt quam meruerunt (α), hoc autem non solum animo merendi, sed satisfaciendi, pro se quidem primo, deinide pro omnibus indigentibus, secundum ordinationem Ecclesiae; ideo illis primo cedit in satisfactionem, secundum aequalitatem culpe et pœnae; sed residuum, quod nihil potuit liberare de obligatione totaliter soluta, vel perditum fuit (quod non est dicendum), vel reservatur nobis indigentibus. Sicut enim si homo solvat communi debitori plus quam debet, dicens quod (β) si totum a se non debetur, cedat in solutum residuum pro socio, sic acquitat eum; sic in proposito. Et ideo, etc. In hoc ergo conveniunt sancti cum Christo, in his que fuerunt supererogationis, quod aliquid posuerunt in thesauro Ecclesiae, sicut Christus. Sed in hoc disconveniunt, quod tota satisfactio Christi cessit in thesaurum pro ceteris, et nihil pro se (quia nullius debitör fuit, nec pœnae originalis, nec actualis; et quia ab eo est (γ) thesaurus infinitus); alii autem sancti non sic. Beata autem Virgo medio modo se habuit: quia de suis pœnalitatibus illud solum pro ea satisfecit, quod erat pœna peccati originalis, sicut mors naturae, cuius ipsa debitrix fuit; relique autem ejus pœnalitates sponte assumptæ totæ nobis cedunt, non illi, que nullius culpe actualis rea fuit. Et idem est de martyrio Innocentium, et aliorum qui nec venialiter peccaverunt. — Quod autem aliqui dicunt, quod nec diminutio nec remissio in sacramentis est, nisi per solutionem factam de passione Christi, — non videtur verum: quia in baptismo non est solutio pœnie, nec a Christo, nec

ab alio; quia dicit Ambrosius (α), quod *in baptismo gratia Christi omnia condonat gratis*; ubi autem est plena solutio, non est gratuita donatio, vel remissio. » — Hæc Petrus, et bene quoad multa, præter ultimum.

Cum autem Durandus instantias per Petrum allegatas nititur evadere, — dicitur primo, quod illud quod dicit de Christo, non valet. Quia Petrus non dicit quod omnia merita Christi sufficienter fuerint remunerata in ipso Christo, quasi ipse in se receperit sufficiens præmium omnium suorum meritorum; sed solum vult quod omne meritum Christi est sufficienter remuneratum vel remunerandum in persona illius pro quo factum est, et cui meruit, saltem ad voluntatem ipsius Christi, cui datum vel blandum est æquale præmium, in se vel in alio, quantum et pro quanto intendebat. — Nec valet quod dicit Durandus, quod merita Christi non fuerant remunerata in seipso visione vel fruitione beatifica. Quia merita Christi hoc non merebantur; nec voluntas Christi creata, vel increata, ordinavit omnia sua merita ad tale præmium in se recipiendum, sed ad aliud, vel in alio a se; et hoc obtinuit, vel habiturus est. Et sic quod dicit de remuneratione meritorum Christi, non valet; et instantia Petri adhuc stat contra conclusionem Durandi. Et, ultra hoc, dicta Durandi videntur contradictionem implicare: quia ex una parte dicit quod Christus per passionem suam non meruit sibi ipsi beatificam visionem, aut fruitionem (et in hoc conveniunt omnes doctores); ex alia vero parte dicit quod meritum passionis non fuit sufficienter remuneratum in seipso, quia non per visionem beatificam, aut fruitionem; in quo videtur dicere quod non est sibi redditum illud quod merebatur, scilicet visio beatifica; et sic videtur dicere quod meruit visionem beatificam, et quod eam non meruit; quod est contradictione.

Dicitur secundo, quod illud quod dicit de operibus pœnalibus sanctorum, non valet. Supponit enim quod opera pœnalia sanctorum non possunt post mortem eorum cedere in satisfactionem pro pœna debita viventibus, et quod passiones illorum nihil relinquent in Paritoria vel thesauro Ecclesiae; cuius oppositum dicit Paulus, et Glossa ordinaria. Item, supponit quod nullus vivens possit satisfacere pro futuris, sed solum pro presentibus, vel preteritis; et quod opera pœnalia sanctorum non prosunt post mortem illorum, nisi sibi ipsis, ad aliquid præmium accidentale consequendum; et quod de suis operibus pœnalibus, ut pœnalia sunt, quibus in via satisfecerunt pro aliis vel pro se, non habebunt aliquid

(α) *sustinuerunt quam meruerunt. — sustinuerint quam meruerint Pr.*

(β) *quod — Om. Pr.*

(γ) *est. — Om. Pr.*

(α) Non sunt haec Ambrosio attribuenda. Reperiuntur in appendice ad opera ejus, Comment. in Epistol. ad Romanos, cap. xi (Migne, Patrol. latin., tom. XVII). — Cfr. § *Est enim pœnitentia*, dict. Grat. post can. 87, dist. 1, de Pœnitentia. Item, can. 99, dist. 4, de Consecr.

præmium accidentale, sed solum de pœnaliis non satisfactoriis. Ex quo sequitur quod aliquis actus meritorius privatur aliquo præmio æterno, ex hoc solo quia fuit actus justitiae, et, ut sic, solum temporaliter præmiatur: id est, quod obest homini satisfacere in via pro alio, vel pro se; quorum oppositum tenet communis schola. Ideo illa opinio tanquam extranea et litigiosa repudianda est. Unde sanctus Thomas, præsenti distinctione, q. 4, art. 3, q^{ta} 2, in solutione quinti, sic dicit: « Causa pro qua datur indulgentia, non requiritur ad hoc quod secundum eam debeat mensurari remissio pœnae, sed ad hoc quod intentio illorum quorum merita communicantur, ad ipsum pervenire possit (z). Bonum autem unius continuatur alteri dupliciter. Uno modo, per charitatem; et sic etiam sine indulgentiis aliquis est particeps omnium bonorum que fiunt in Ecclesia, si sit in charitate. Alio modo, per intentionem facientis; et sic per indulgentias, si causa legitima adsit, potest intentio illius qui pro utilitate Ecclesie operatus est, ad istum continuari. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in principali solutione, sic dicit: « Quantitas effectus consequitur quantitatatem suæ causæ. Causa autem remissionis pœnae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesie, quæ se habent sufficenter ad totam pœnam expiandam. Non autem causa remissionis effectiva, est vel devotio, aut labor, aut datum recipientis, aut causa pro qua fit indulgentia. Unde non oportet secundum aliquod illorum mensurare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesie; quæ semper abundant; et ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur (6). Ad hoc autem quod applicantur isti, requiritur auctoritas dispensandi istum thesaurum; et unio ejus cui dispensatur, ad eum qui merebatur, quod est per charitatem; et ratio dispensationis, secundum quam salvatur intentio eorum qui opera meritoria fecerunt. Fecerunt enim ea ad honorem Dei, et utilitatem Ecclesie in generali. Unde quæcumque causa adsit, quæ in utilitatem Ecclesie et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi. Et ideo dicendum quod indulgentiae simpliciter tantum valent quantum predicatorum, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte cause pietas, quæ comprehendit honorem Dei et utilitatem proximi. Nec in hoc nimis (y) fit magnum forum de misericordia Dei, ut quidam dicunt; nec divinae justitiae derogatur; quia nihil de pœna dimittitur, sed unius pœna alteri computatur. » — Hæc ille.

II. Ad argumenta quorumdam. — Ad pri-

(z) possit. — possint Pr.

(6) consequitur. — consequuntur Pr.

(y) nimis. — Om. Pr.

mum eorum quæ secundo loco contra eamdem conclusionem inducuntur, dicitur quod, ad hoc quod aliqua pœna sit sufficenter pro aliquo peccato satisfactoria, non requiritur quod sit æqualis, vel tanta intensive in pœnalitate, vel tanta extensive in durata, quanta est pœna quam talis culpa merebatur in alio sæculo; sed ad hoc sufficit quod talis pœna, vel toleratio voluntaria illius, æque vel plus sit accepta Deo, cui fit satisfactio, quam culpa fuit displicens Deo et offensiva ejus. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 48, art. 2, sic dicit: « Ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibit offenso illud quod æque vel magis diligit quam oderit offensam. Christus autem, ex charitate et obedientia patiendo, majus aliquid Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensæ humani generis. Primo quidem, propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur. Secundo, propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat, quæ erat vita Dei et hominis. Tertio, propter gravitatem passionis, et magnitudinem doloris assumpti. Et ideo passio Christi non solum fuit sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio pro peccato humani generis, secundum illud 1. Joan. 2 (v. 2): *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* » — Hæc ille. — Item, q. 46, art. 6, in solutione tertii, sic dicit: « Dolor animæ separate patientis pertinet ad statum futuræ damnationis, quæ excedit omne malum præsentis vitæ, sicut sanctorum gloria excedit omne bonum præsentis vitæ. Unde, cum diximus Christi dolorem esse maximum, non comparavimus ipsum dolori animæ separatae. » — Hæc ille. — Et tamen, in eodem articulo, dicit quod dolor Christi patientis, et ejus quantitas, proportionabatur magnitudini fructus qui inde sequebatur, et satisfactioni pro omnibus peccatis humani generis. Patet ergo quod non oportet, ad perfectam satisfactionem, quod satisfaciens patiatur tantum dolorem, vel tantam pœnalitatem, quantum merebatur in alio sæculo peccator pro quo satisfacit.

Verum est quod Petrus de Palude aliter dicit ad hoc argumentum. Dicit enim (dist. 20, q. 4) quod « Christus non solum omnibus meruit, sed pro omnibus satisfecit: quia suppositum agebat et patiebatur; unde non solum actio merens, sed etiam passio satisfaciens infinita est. Non est ergo ex insufficientia quod passio Christi in sacramentis non solvit, sed ex ordinatione Dei, qui gratis remittit. Et quod dicitur, quod reatus pœnae non dimittitur nisi quia pœna solvit, — non est verum. Quia sicut tota obligatio ad pœnam potest tolli liberali quitatione creditoris, sine totali solutione; sic etiam pars potest remitti, sine partiali solutione. Dicere autem quod Deus, in sacramentis, in quibus maxime liberalis existit (unde et sacramenta gratiae vocantur); nihil gratis remittat, nec condonet, nisi quan-

tum sibi solvit, aut de thesauro communi Ecclesiae, aut de bono thesauro cordis, vel corporis, vel oris, proprie est dicere Deum illiberalem; et, licet in hoc esset liberalitas hominis Christi, nobis communicantis divitias suae penalitatis, in hoc tamen in nullo est liberalitas Dei, qui nihil de suo nobis donat. Propter quod, melius dicitur quod in sacramentis est liberatio a tota poena, vel partiali, non ex solutione, sicut in indulgentiis, sed ex liberali Dei remissione; ex merito quidem Christi, id est, ex amore Christi; sed non ex solutione Christi, qui, etsi (α) pro peccato naturae (ε) solvit et satisfecit, non sic tamen pro peccato personae (γ). — Sed, cum ultra infinitum nihil sit, et unum infinitum aliud consumat vel attingat, et poena peccati originalis esset infinita, et intensive, quia privat bono infinito, et extensive, quantum est de se (ut patet de pueris in limbo, quorum poena non finietur); ergo satisfactio, quamvis fuerit infinita, exhausta tamen fuit tollendo ponam in baptizatis. Nihil ergo remanet ad solvendum in indulgentiis, vel pro actualibus peccatis. — Ad quod dicendum est (δ), quod in infinitis que sunt unius rationis, unum aliud non excedit. Sed infinitas Dei, que est interminabilis vita simul et perfecta possessio, omnem aliam, et infinitas alias, si essent, excedit. Quia omnis infinitatis entis et possibilis (ε), est causa aequivoca principalis; ergo major; item causa voluntaria; et sic potest finire omne quod est infinitum. Unde virtus divina infinitatis ad infinita se potest extenderet, et adhuc illa excedit; cum omnia ad eam comparata, sint finita, immo sint nihil; quia potest illorum infinitatem ad finitatem redigere, et eorum entitatem ad nihilitatem. Ergo passio Christi, inquantum meritoria, et inquantum satisfactoria, est infinita ratione suppositi, quod omnes infinitates existentes et possibles excedit; quia omnem ponam damni et sensus infinitam potest facere finitam et nullam. Alioquin sic argui posset, quod passio Christi pro uno solo posset satisfacere, cuius poena est infinita, et non pro duobus; sicut prius argubatur, quod pro originali, et non actuali; nisi dicetur quod dictum est. » — Haec Petrus; et male quoad aliqua, in quibus videtur contrariari beato Thomae et veritati.

Primum est, quod in baptismo et aliis sacramentis non sit solutio de thesauro Ecclesiae, nec de merito aut satisfactione Christi, sed liberalis condonatio poenae debitae. Hoc enim contrariatur dictis sancti Thomae, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 2, art. 1,

q^{ta} 2, ubi arguit sic (primo loco): « Sicut dicit Augustinus (super Psalm. 44 et 58), peccatum aut homo punit, aut Deus. Si ergo homo in seipso non puniat peccatum quod commisit, a Deo punietur; et ita per baptismum actualis peccati poena non totaliter tollitur. » Item, secundo, arguit sic: « Culpa non potest ordinari nisi per poenam. Sed Deus inordinatum nihil relinquit. Ergo non dimittit, quin pro culpa aliquam ponam infligat; et sic baptismus non absolvit ab omni poena. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod Christus per mortem suam sufficienter satisfecit pro peccatis totius humani generis, etiam si essent multo plura. Et quia homo per baptismum in morte Christi baptizatur, et ei commoritur et conseperitur, ut dicitur, *Romanor.* 6 (v. 3 et 4), ideo baptismus, quantum in se est, totam efficaciam passionis Christi in baptizatum influit; et, propter hoc, absolvit eum a poena satisfactoria, non solum a culpa. — Ad primum ergo dicendum, quod per baptismum homo incorporatur Christo, et efficitur membrum ejus. Et ideo poena quam Christus sustinuit, reputatur isti in satisfactionem: quia, si patitur unum membrum, compatuntur cetera, ut dicitur, 1. *Corinth.* 12 (v. 26). Et ideo Deus in Christo peccata illa ponit, sicut dicitur, *Isaie* 53 (v. 6): *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.* — Ad secundum, dicendum quod poena ordinat culpam duplicitate. Uno modo, ut satisfaciens; et sic culpa remanet ordinata per satisfactionem Christi. Alio modo, ut medicina sanans, vel resecans membrum insanabile; et sic culpa in baptizatis ordinatur, ut sanata per gratiam oppositam. » — Haec ille. — Similia dicit, 3 p., q. 69, art. 2: « Per baptismum, inquit, aliquis incorporatur morti et passioni Christi, secundum illud *Romanor.* 6 (v. 8): *Si mortui sumus cum Christo, credimus quia etiam simul vivemus cum eo.* Ex quo patet quod omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus et mortuus esset. Passio autem Christi est sufficienter satisfactio pro peccatis omnium hominum. Et ideo ille qui baptizatur, a reatu omnis poenae sibi debitate pro peccatis liberaatur, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis. — Ad primum ergo dicendum quod, quia poena passionis Christi communicatur baptizato, inquantum fit membrum Christi, ac si ipse poenam illam sustinuisse, ejus peccata remanent ordinata per ponam passionis Christi. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod in baptismo, et aliis sacramentis, non sit condonatio poenae nisi cum perfecta satisfactione et solutione; cuius oppositum dicit Petrus. Et illo modo debet intelligi illud Ambrosii (α) dicentis quod baptismus omnia condonat: scilicet

(α) *Christi, id est, ex amore Christi; sed non ex solutione Christi, qui, etsi. — ut est, amore Christi, qui et scilicet Pr.*

(ε) *natura. — nec Pr.*

(γ) *personae. — per se Pr.*

(δ) *est. — Om. Pr.*

(ε) *possibilis. — potentialis Pr.*

(α) Cfr. pag. 407, col. 2, not. α.

quia non requirit quod baptizatus per se satisfaciat; sed Christus pro eo satisfactionem dedit.

Secundum in quo deficit Petrus, est quia dicit quod, si Deus non condonaret per sacramenta aliquid de pena debita, sine satisfactione vel solutione, ipse esset illiberalis, etc. Hoc enim non valet; immo sua liberalitas et misericordia magis ostenditur hoc modo quam illo, quia communicat nobis unde possimus satisfacere. De hoc, in suo simili, sanctus Thomas, 3 p., q. 46, art. 1, in solutione tertii argumenti, sic dicit: « Hominem liberari per passionem Christi, conveniens fuit et misericordiae et justitiae ejus. Justitiae quidem: quia per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis; et ita homo per Christi justitiam liberatus est. Misericordiae vero: quia, cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius naturae humanae, Deus Filium suum misit, secundum illud *Romanor. 3 (v. 24 et 25)*, *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem ipsius*. Et hoc fuit abundantioris misericordiae quam si peccata absque satisfactione dimisisset. Unde dicitur, *Ephesior. 2 (v. 4 et 5)*: *Deus, qui dives est in misericordia, propter charitatem nimiam (α) qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivis caritatem nos in Christo Jesu.* » — Hæc ille. — Item, 3. *Sentent.*, dist. 1, q. 1, art. 2, in solutione quarti, sic dicit: « Quamvis Deus sit summe misericors, tamen sua misericordia in nullo justitiae ejus obviat. Misericordia enim quæ justitiam tollit, magis stultitia quam virtus dici debet; et illa Deum non decet. Propter quod Deus misericordiam infinitam sic manifestare voluit, ut in nullo justitiae ejus derogaret. Quod factum est, dum pro nobis homo factus est, ut pro nobis satisfaceret. In quo etiam ejus abundantior misericordia ostensa est ad nos, quam si peccatum sine satisfactione dimisisset, inquantum naturam nostram magis exaltavit, et pro nobis mortem pertulit. » — Hæc ille. — Et sicut ipse dicit de misericordia, ita dicendum est de liberalitate, quod magis ostenditur, dum satisfacit pro nobis, quam si sine satisfactione peccata dimitteret; potissime quia a nobis parvam satisfactionem exigit, et citra condignum, sed tamen ipse satisfecit pro nobis ultra condignum. Et ad hunc sensum debet intelligi illud quod dicit, 3. *Sentent.*, dist. 20, q. 1, art. 1, q^{la} 3, in solutione tertii, ubi sic dicit: « Quantum est de potentia Dei absoluta, Deus posset peccatum absque omni (6) pena dimittere; nec injustus esset, si hoc ficeret. Sed quantum est ex parte istius qui peccavit, secundum ordinem quem nunc Deus rebus ordinavit et impo-
suit, non potest peccatum congrue sine pena dimitti.

Nec sequitur, si congrue pars penæ dimittitur, quod etiam congrue tota pena dimittatur, propter duo. Primo, quia effectus habet aliquid ab agente, et aliquid a recipiente. Unde sicut, in collatione divinorum donorum, donum collatum ex parte dantis elevat recipientem supra statum suum, ex parte autem recipientis est infra modum quem Deus influit; ita, in remissione peccatorum, oportet quod sit aliquid ex parte misericordiæ remittentis, ut aliquid de pena debita remittatur, et aliquid ex parte recipientis, ut scilicet in aliquo puniatur. Secundo, quia remissio penæ quæ fit aliis hominibus, præcipue penæ satisfactorie, fundatur super virtutem satisfactionis Christi, quæ superabundavit ad amovendas omnes penas, quantum in se fuit. Unde oportet quod particulata satisfactio fundetur super satisfactionem Christi condignam, sicut imperfictum in quolibet genere oritur ex perfecto. » — Hæc ille.

Tertium in quo deficit Petrus, est quod Deus, communicando nobis passionem Christi, nihil de suo donat, sed solum Christus ut homo. Istud enim nihil valet. Quia (α), in tali communicatione, Christus ut Deus, immo tota Trinitas, plus communicat nobis quam Christus ut homo. Nam, licet solus Christus passus sit secundum humanitatem, et non divinitas, nec Trinitas, nec Pater, aut Spiritus Sanctus, tamen alia ratio reformat pactum: quia valor illius passionis et satisfactionis, vel meriti, fuit principaliter ex charitate et ex bona voluntate Christi, quæ duo sunt a tota Trinitate; item, ex acceptione divina, quæ communis est toti Trinitati; item, ex concomitantia divinitatis, cui humanitas erat unita, et erat ejus instrumentum, ex qua principaliter habebat valorem infinitum omne Christi meritum, et quilibet ejus satisfactio, actio vel passio. Unde sanctus Thomas, 3 p., q. 48, art. 2, arguit sic, tertio loco: « Satisfactio importat æqualitatem quædam ad culpam, cum sit actus justitiae. Sed passio Christi non videtur esse æqualis omnibus peccatis generis humani: quia Christus non est passus secundum divinitatem, sed secundum carnem, secundum illud, 1. Petri 4 (v. 1), *Christo in carne passo*; anima autem, in qua non est peccatum, potior est quam caro. Non ergo Christus passione sua satisfecit pro peccatis nostris. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod dignitas carnis Christi non est æstimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, inquantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat infinitam dignitatem. » — Hæc ille. — Simile dicit, 3. *Sentent.*, dist. 20, q. 1, art. 3, in solutione secundi: « Vita, inquit, corporalis Christi habebat quædam infinitum valorem ex divinitate conjuncta, inquantum non erat vita puri hominis,

(α) *nimiam. — nostram* Pr.

(6) *omni. — omnium* Pr.

(α) *Quia. — quare* Pr.

sed Dei et hominis; et ideo poterat esse sufficiens recompensatio vitae spiritualis, et præcipue ratione charitatis eximiae ex qua offerebatur. » — Hæc ille. — Cetera dicta Petri possunt stare.

Ad secundum patet responsio ex dictis Petri in praecedenti solutione.

Ad tertium respondet sanctus Thomas, præsenti distinctione, q. 1, art. 3, q^{ta} 1, in solutione tertii argumenti, dicens quod « effectus absolutionis sacramentalis, est diminutio reatus; et hic effectus non inducitur per indulgentias; sed pro eo faciens indulgentias, solvit pœnam quam debebat, de bonis communibus Ecclesie ». — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit : « Ille qui indulgentias suscepit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito pœnae; sed datur sibi unde debitum solvat. » — Hæc ille.

Durandus vero ad argumentum istud sic ait (dist. 20, q. 3) : « Duplex, inquit, est effectus sacramenti : primus, qui est remissio culpæ et collatio gratiæ; et secundus, qui est remissio vel diminutio pœnae. Collatio primi effectus pertinet ad potestatem auctoritatis, et non ad potestatem excellentiae, nisi meritorie. Collatio autem secundi effectus, qui est remissio vel diminutio pœnae, potest pertinere non solum ad potestatem excellentiae, sed etiam ad potestatem ministerii. Si enim purus homo, non habens potestatem, nec excellentiae, nec ministerii, potest satisfacere pro pœna alteri debita, multo magis hoc potuit Christus, et ille qui constitutus est ab eo summus minister Ecclesie, cui commissum est a Christo quod de thesauro passionis Christi possit communicare fidelibus ad expiationem pœnae quam debent. Supponimus autem quod talis sit Papa; quo non supposito, non apparet via per quam indulgentiae possent aliquid valere. » — Hæc Durandus.

Petrus vero de Palude sic respondet (dist. 20, q. 4) : « Potest, inquit, dici quod sine sacramento habitu de facto, vel in voto, nullus effectus sacramenti necessarii proprius conferri potest nisi a Christo. Sed, sacramento habitu de facto, vel in voto, contingit habere effectum sine sacramento. Si enim aliquis sit contritus, et antequam sit in mora confitendi, vel conterendo, vel aliter pœnitendo, condignam pœnitentiam fecerit, a satisfaciendo non consistendo absolvitur. Sicut ergo sine sacramento actu suscepto potuit satisfacere pro se de suo, sic et per alium, vel per se (^a) de bonis spiritualibus ab aliis sibi concessis, maxime quando sacramentum suscepit voto et facto, et de his ad quæ per sacramentum obligatus est. Unde (^b), sicut sine novo sacramento ipsem satificat, qui non habet potestatem excellentiae; sic et si Papa, vel alius

minister Ecclesie det sibi unde solvat, non est hoc supplere vicem sacramenti, quod etiam sine potestate ministerii (^a) fieri potest. » — Hæc Petrus, et bene.

Solutio autem Durandi implicat aliqua falsa : puta quod remissio culpæ et collatio gratiæ nullo modo pertineat effective ad potestatem excellentiae Christi, sed solum meritorie. Hoc enim falsum est. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 64, art. 3, sic dicit : « Interiorum sacramentorum effectum operatur Christus, et secundum quod Deus, et secundum quod homo; aliter tamen et aliter. Nam, secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem; secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie et efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est enim (3 p., q. 48) quod passio Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis et meritorie et effective : non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem; sed per modum instrumenti, inquantum humana res est instrumentum divinitatis ejus. Sed tamen, quia est instrumentum conjunctum divinitati in persona, habet quamdam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, quæ sunt ministri Ecclesie et ipsa sacramenta. Et ideo, sicut Christus, inquantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis; ita, inquantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiae. Quæ consistit in quatuor. Primo quidem, in hoc quod meritum et virtus passionis ejus operatur in sacramentis. Et quia virtus passionis ejus copulatur nobis per fidem, ideo secundo ad potestatem excellentiae, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in ejus nomine sacramenta sanctificantur. Et quia ex institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ille, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, ideo quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ille potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre. » — Hæc ille. — Similia dicit, 4. *Sentent.*, dist. 5, q. 1, art. 1. Ex quibus patet quod solutio Durandi implicat falsum.

Solutio vero Petri non videtur calumniabilis, nisi pro quanto et si vellet innuere quod indulgentiae Ecclesie possunt valere alicui ante actualem suspicionem sacramenti pœnitentiae, et quod sufficeret votum suscipiendi sacramentum. Hoc enim videtur esse falsum, et contra communem formam concedendi indulgentias, qua dicitur : *Concedimus omnibus vere pœnitentibus et confessis tot dies indulgentiae, etc.* Insuper, communiter tenetur quod

(a) vel per se. — verum Pr.

(b) Unde. — Om. Pr.

(a) ministerii. — ministri Pr.

tales indulgentiae valent ad expiationem poenae quæ restat post actualem absolutionem sacerdotis. Et iste modus dicendi est securior; quem tenet sanctus Thomas, ubi supra (dist. 20, q. 4, art. 3). Dicit enim in præsenti distinctione, ut supra recitatum fuit in probatione primæ conclusionis, quod « hujusmodi indulgentiae valent quantum ad forum Ecclesie, et quantum ad judicium Dei, ad remissionem poenæ residuae post contritionem, confessionem et absolutionem, sive sit injuncta, sive non. » Item, art. 5 ejusdem questionis, in solutione primæ quæstiunculæ, dicit quod « in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis et confessis ». Item, secundo *Quodlibeto*, questione ultima, sic dicit : « Ad hoc quod indulgentia alicui valeat, tria requiruntur. Primo, causa pertinens ad honorem Dei, vel ad necessitatem aut ad utilitatem Ecclesie. Secundo, auctoritas in eo qui facit : Papa enim potest principaliter; alii vero in quantum accipiunt potestatem ab eo, vel ordinariam, vel commissam seu delegatam. Tertio, requiritur ut sit in statu salutis ille qui indulgentiam vult percipere. Et haec tria designantur in littera papali : nam causa conveniens designatur in hoc quod premittitur (α) de subsidio Terræ Sanctæ; auctoritas vero, in hoc quod fit mentione de auctoritate Apostolorum Petri et Pauli, et ipsius Papæ; charitas autem recipientis, in hoc quod dicitur, *vere paenitentibus et confessis*. Non dicit, *et satisfacientibus* : quia indulgentia non excusat a contritione et confessione, sed cedit in locum satisfactionis. » — Haec ille. — Sed, his non obstantibus, videtur mihi, cum Durando (dist. 20, q. 4), quod Papa posset, si vellet, concedere indulgentias vere contritis, et valerent eis ante actualem confessionem ad satisfactionem pro peccatis, licet communiter oppositum sonent litteræ papales; quia etiam multi Praelati dant indulgentias eis qui sunt in statu gratiae, vel erunt infra octo dies, non faciendo mentionem de confessione. Et sic dicta solutio Petri bona est. Sed sanctus Thomas loquitur de indulgentiis quas Papa communiter concedit in suis rescriptis.

III. Ad argumenta Aureoli. — Ad primum Aureoli contra eamdem conclusionem, dicitur, negando minorem, scilicet quod ex verbis rescriptorum habeatur quod Papa det indulgentias modo authentico, sine quacumque applicatione satisfactionis. Nec valet probatio de Dei misericordia: quia sicut Deus in suis operibus nunquam utitur misericordia sine justitia; ita nec minister ejus, quicumque sit, potest uti divina misericordia, secernendo omnem justitiam. Et de hoc beatus Thomas, præsenti distinctione, q. 4, art. 3, in solutione secundæ quæstiunculæ, sic dicit : « Indulgentiae simpliciter

tantum valent quantum sonant vel prædicantur, ubi dummodo ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem. Nec in hoc nimis (α) sit magnum forum de misericordia Dei, ut quidam dicunt; nec divinæ justitiae derogatur; quia nihil de poena dimittitur, sed unius poena alteri computatur. » — Haec ille. — Quod autem addit arguens, de auctoritate papali et Apostolorum Petri et Pauli, non valet: quia auctoritas papalis non se extendit ad relaxandum peccata sine quacumque satisfactione, sed ad hoc quod thesaurum Ecclesie possit in satisfactionem fidelibus dispensare, et satisfactionem unius alteri applicare, non autem pro libito relaxare. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 18, q. 4, art. 3, q^{la} 4, arguit sic (tertio loco): « Omnis Christi actio, nostra est instructio. Sed ipse quibusdam peccantibus nullam poenam imposuit, sed solum emendationem vitæ, ut patet de adultera, Joan. 8. Ergo videtur quod ad arbitrium suum possit sacerdos, qui est Christi vicarius, dimittere totam poenam, vel partem. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod Christus habuit potestatem excellentiæ in sacramentis; unde ipse ex auctoritate totum vel partem poterat dimittere, sicut volebat. Nec est simile de his qui operantur tantum ut ministri. » — Haec ille. — Et ibidem, in solutione principali, multa dicit quæ faciunt ad propositum.

Ad secundum patet solutio per prædicta. Quia major intellecta ad sensum arguentis falsa est. Licit enim Papa plenitudinem clavium habeat, tam ordinis quam jurisdictionis, non tamen habet potestatem excellentiæ; sed solus Christus. Ideo non potest peccata dimittere sine satisfactione, quæ est pars sacramenti penitentiae, sicut Christus poterat.

Ad tertium dicitur primo, quod modus arguendi non valet: quia, si forma illa valeret, concluderet non solum quod Papa ex auctoritate posset sine satisfactione omne peccatum remittere quoad culpam et reatum, immo quod quicumque sacerdos potest remittere omne peccatum quoad reatum, quod potest remittere quoad culpam vel offensam; quod est manifeste falsum. Et patet consequentia: quia, secundum dicta arguentis, majus est absolvere a culpa quam a poena; multis autem sacerdotibus commissum est absolvere a culpa; ergo, etc. — Dicitur secundo, quod licet majus sit absolvere a culpa quam absolvere a poena, si utraque absolutio seorsum consideretur; tamen absolvere a culpa et a tota poena simul, majus est quam absolvere a culpa solum et non a poena, vel a culpa et ab aliqua parte poena, sed non a tota poena. Et ideo non oportet quod enicunque committitur secundum, committatur primum. — Dicitur tertio, quod, dato quod

(α) *præmittitur*. — *præmittit* Pr.

(α) *nimir*. — Om. Pr.

semper absolutio a poena esset quid minus quam absolutio a culpa, non tamen semper (α) decet quod cui committitur majus, committatur minus (β) : quia absolutio a culpa in nullo casu potest esse nociva, nec impeditiva majoris boni; secus est de absolutione a poena. De hoc sanctus Thomas, 1^a 2^e, q. 87, art. 6, in solutione tertii, sic dicit : « Remota macula, sanatum est vulnus peccati quantum ad voluntatem. Requiritur autem adhuc poena ad sanc-
tionem aliarum virium animæ, quæ per peccatum præcedens deordinatae fuerunt, ut scilicet per con-
traria curentur. Requiritur etiam ad restituendum æqualitatem justitiae, et ad removendum scandalum aliorum, ut ædificantur (γ) in poena, qui scandalizati sunt in culpa. » — Hæc ille. — Et multa alia contra argumentum adduci possunt.

Ad quartum, negatur minor. Nec valet probatio: quia, sicut dictum fuit prius (δ), in baptismo non sit relaxatio poenæ peccatis debitæ, sine satisfactiōne, immo cum sufficientissima satisfactiōne, per meritum et satisfactiōne passionis Christi, quæ plenarie transfertur in baptizatum. Item, dato quod Papa, mediante sacramento, possit omnem poenam remittere, hoc non est nisi per completum sacramentum. Non est autem completum ultimata completione, nisi quælibet pars integralis sacramenti sit completa, scilicet contritio, confessio et satisfactio. Non est autem completa satisfactio, nisi poenitens per propria opera poenalia plenarie satisfaciat, vel alius pro eo, vel nisi satisfactio Christi et sanctorum sibi per indulgentiam applicetur ab eo qui potest.

De hoc multum bene ad propositum dicit Durandus (dist. 20, q. 3) : « Poena, inquit, peccato debita, tripliciter potest dimitti. Uno modo, ex mera gratia, quando offensus totam offensam et poenam offensis debitam gratis remittit offendenti. Alio modo, quando aliquis poenam debitam solvit pro alio, ita quod poena non condonatur gratis, sed solvitur per alium, de voluntate ejus qui fuit offensus. Tertio modo, quando partim remittitur, partim exsolvitur, quod fit quando magna poena pro modica remittitur. Primus modus et tertius videntur habere locum in indulgentiis, si attenderetur communis usus nominis. Tunc enim dicitur aliquis indulgere alteri delictum contra eum commissum, quando gratis et totaliter remittit culpam seu offensam et poenam pro culpa debitam, vel quando magnam poenam condonat pro modica. Quando autem tota poena exsolvitur per illum qui peccavit, vel per alium loco ejus (quod pertinet ad secundum modum), non dicitur esse indulta, sed soluta. Sed quia, secundum Hilarium (*de Trinitate*, lib. 4), non res sermoni, sed sermō

rei debet esse subjectus, ideo magis attendendum est ad veritatem rei quam ad proprietatem sermonis. Constat autem quod solus Deus potest grafis condonare totam poenam debitam peccato contra præcepta ejus commisso, vel partem poenæ; vel ille cui super hoc legitur dedit potestatem. Non apparent autem quod Deus hanc potestatem dedit hominibus (quos solum fecit ministros novi testamenti, et dispensatores mysteriorum Dei), quod ipsi sine sacramentis, quorum sunt dispensatores, possint gratis condonare poenam pro peccatis debitam, vel partem ejus. Nec etiam mediantibus sacramentis : nam quando tota poena dimittitur in baptismo, vel pars poenæ, virtute clavium, in sacramento poenitentiae, non dicitur condonari; sed dicitur quod communicatur meritum passionis Christi, ad dimissionem totius poenæ in baptismo, vel ad dimissionem partis poenæ in sacramento poenitentiae; ita quod de merito poenæ Christi exsolvitur tota poena debita peccato, vel pars ejus. Et ideo communiter sequitur quod modus quo valent indulgentiae, est per modum solutionis poenæ peccato debitæ, etc. » — Hæc Durandus, et bene.

Et hæc sufficiant ad argumenta contra conclusiones.

Ad argumentum contra questionem (α), patet responsio per predicta.

Et hæc de questione sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XXI.

QUÆSTIO I.

UTRUM PECCATUM VENIALE POSSIT EXPIARI

QUAD CULPAM PER POENAM PURGATORII



SIRCA vigesimam primam distinctionem
4. Sententiarum, queritur: Utrum speci-
cum veniale possit expiari quoad cul-
pam per poenam purgatorii.

Et arguitur quod non. Quia culpa actualis non deletur nisi per contritionem. Sed post hanc vitam non erit contritio, quæ est actus meritorius: quia tunc non erit meritum, nec demeritum; cum, secundum Damascenum (*de Fide Orth.*, lib. 2, cap. 4), hoc sit hominibus mors, quod angelis casus. Ergo post hanc vitam non dimittitur veniale in purgatorio quoad culpam.

(α) questionem. — conclusionem Pr.

(α) *tamen semper*. — Om. Pr.
(β) *majus, committatur minus*. — *minus, committatur majus* Pr.

(γ) *ædificantur*. — *ædificant* Pr.

(δ) Cfr. art. present., II, ad primum.